



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Bonitatis & justitię in operibus Dei, arcta coniunctio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

DE ÆQVITATE, ET BONITATE
IVDICIORVM, QVÆ EX DIVINA IRA
IVSTITIAQVE, IN HOC MVNDO,

ORTA CENSENTVR.

C A P V T I.

*Diuinam Bonitatem pariter iustam, & Iustitiam, etiam
cùm punit, simul bonam esse.*



VI DEVM, in Mundo, esse credit, si verè credit omni-
potentem, rebus omnibus præsentem, omnia prouiden-
dentem, omnia gubernantem; non tantùm summè
beneficum, & hominum bonorum amantem, sed
etiam maximè iustum, atque sceleribus irascentem esse, necesse est,
vt fateatur. Quod alio loco docuimus; & docet Regius Propheta,
dum ait: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi.* Hæc vtraque si-
mul & cantanda DEO, & hominibus inculcanda sunt; quia non
solum, in illo Ente simplicissimo, vnum sunt; sed etiam, quando
erga mortales sese, diuersis operibus, exerunt, non separantur. Mi-
feretur enim pariter iustè DEVS, & misericorditer iudicat plectit-
que. Vsq̄ adeò, vt etiam nocentissimos quosque minùs puniat,
quàm puniri mereantur. Hoc est, quod Habacuc paradoxè, sed ve-
rè prædicat: *Cùm iratus fueris, misericordia recordaberis.* Hoc Da-
uid affirmat; docens enim, ex omnibus DEI operibus, misericor-
diam & iustitiam elucere, ait: *Vniuersa via Domini, misericordia &
veritas.* Cui assonat Cassiodorus, ita scribens: *Potestas Domini
semper aut miseretur, aut iudicat. Sed neq̄, misericordia ipsius, sine iudi-
cio; neq̄, iudicium, sine misericordia reperitur. Vtraq̄ enim se mutuà so-
cietate coniungunt.* Hæc est pulcherrima, in simplicissimo Numine,
mixture, vt vna virtus alteram commendet; & vtrinque suus fru-
ctus existat, ac decor. Quapropter iustus Iob, & beneficientem
DEVM, & verberantem expertus, in vtraque fortuna, diuinam di-
laudauit bonitatem; &, quemadmodum non exorbitauit, in pro-
speris, ita, neque in aduersis, voluit cœlo formulam intendere.

*Vt in fidibus, ac tibijs, atq̄, cantu ipso, ac vocibus, inquit Tullius,
concentus est quidam tenendus, ex distinctis sonis, isq̄, concentus, ex disti-*

A

mil-

I.

L. 1. cap. 8. de
diuin. iudi-
cijs. Pl. 100. 1.

Habac. 3. 2.

Psal. 24. 10.

Cassiodor. in
Psal. 100.

Iob. 1. 21.

II.

Cic. lib. 2. de
Rep.